

Maximo, (dubium an quaesita morte,) auditos in funere ejus **Marciae** gemitus, semet incusantis, quod causa exitii marito fuisse. Ut cumque se ea res habuit, vixdum ingressus **Illyricum** **Tiberius**, properis matris litteris accitur: neque satis compertum est, spirantem adhuc **Augustum** apud urbem **Nolam**, an exanimem repererit. Acribus namque custodiis domum et vias sepserat **Livia**; laetique interdum nuntii vulgabantur, donec, provisio quae tempus monebat, simul excessisse **Augustum**, et rerum potiri **Neronem**, fama eadem tulit. Primum facinus novi principatus fuit, **Postumi Agrippae** caedes: quem ignarum inermumque, quamvis firmatus animo centurio, aegre confecit.

C. CORNELII TACITI HISTORIARUM LIBER QUINTUS.

ARGUM. Titi in **Judeos** urbemque sacram expeditio. Ea occasione, de Gentis origine, moribus, religione, urbisque ipsius opere et situ, accuratius et uberior dictum. (Tom. II.)

Cap. I. Ejusdem anni principio, Caesar **Titus** perdomandae **Judeae** delectus a patre, et privatis utriusque rebus militia clarus, majore tum vi famaque agebat, certantibus provinciarum et exercituum studiis. Atque ipse, ut super fortunam crederetur, decorum se promtumque in armis ostendebat, comitate et alloquiis officia provocans: ac plerumque in opere, in agmine, gregario militi mixtus incorrupto ducis honore. Tres eum in **Judea** legiones, quinta et decima et quindecima, vetus **Vespasiani** miles, excepere. Addidit e **Syria** duodecimam, et adductos **Alexandria** duoetvicesimanos tertianosque. Comitabantur viginti sociae cohortes, octo equitum alae: simul **Agrippa** Schemusque, reges, et auxilia regis **Antiochi**,